

TISSIMUM suum quam deuotissima ueneratione prosequi, suaque gaudia publice testari nolit; aut certe frequenti Academiae instituta panegyri discere, quantum sit Numinis aeterni munus optimi Principis concessio, cuius laboribus ciuium grata quies, curis tranquilla felicitas, vigiliis somnus securus, sapientissima rerum omnium administratione publica et priuata cuiusque felicitas immota persistit. Agite ergo, Proceres atque Ciues, Domini, Fautores, Amici, omnium ordinum honoratissimi, VII. Idus Maii, hora X. solemni et frequenti panegyri maius ingrediamur auditorium; et FRIDERICO REGI, NOSTRO DELICIO, PATRIAE PATRI INDVLGENTISSIMO, ET BENEFICO RERVM NOSTRARVM STATORI, candidissimum gratulemur natalem, atque sub nouum anni auspiciu, quod felix sit et faustum, deuotissimas conferamus mentes, laetos applausus, calidissima suspiria, quibus postquam Numinis aeterni infinitam bonitatem fuerimus venerati, quod huius tanti muneris fructum tribuere nobis quam clementissime ac tueri hucusque voluerit; humillima quoque illi supplicemus mente, vt memor tanti amoris in nos sui, hunc tam exoptatum, rebusque tam salutarem nostris, FRIDERICI REGIS natalem auspicato saepius atque candidiorem semper, intra plurimorum annorum confirmatam felicitatem, redire patiatur.

LXVI.

MEMORIA

SABINAE CHRISTINAE VIETORIS
V.C. CONIUGIS DESIDERATISSIMAE.

Si cuiquam mortalium res liceret omnes intueri futuras, et quae sibi restarent onera subeunda, ante